





B. C. D.

12

DISSERTATIO JURIDICA  
DE  
PARTU  
SEPTIMESTRI

QUAM

PRAESIDE

DN·JEREMIA EBERHARDO  
LINCKIO,  
Jur. Publ. & Pand. P. P. O. & Cap.

Thomani Canonico,

SOLENNI *Censuræ subjiciet*

Ad diem 10. Februar. M DCC XXXIV.

JOH. BAPTISTA LE GOULLON DE COIN  
METENSIS.

ARGENTORATI,  
Literis GEORG. ADAMI PIESCKERI, Univ. Typogr.

DEO,  
PATRIÆ,  
PARENTIBUS  
PATRONIS  
ET  
AMICIS.



DISSESTITO JURIDICA  
DE  
PARTU SEPTIMESTRI.

§. I.



Artum Septimestrem, qui  
septimo mense nascitur, hic in-  
telligimus. Verū cum hujus termi-  
nus a quo duplex sit, alias con-  
ceptionis, alias nuptiarum; duplex  
quoque partus Septimestris signi-  
ficatione prodit. De priori prius.

Homines concipiuntur momento, sed sensim ma-  
turescunt, suisque periodis in lucem procedunt.  
Novem vel decem Mensibus magnificentum hunc Na-  
tura labore miraculique plenissimum absolvit or-  
dinariè. Citiùs quām par est partum præcipitans,  
*abortum* facere dicitur, cui iura hominum, ut mōr-  
tuō, Leges auferunt. Partus autem indubie abortivus  
is erit, qui, quamvis vivat, ob maturitatis defi-  
ciū, vitalis esse nequit. Maturitas enim vitalem reddit.  
Quo vero mense partus vivens utero exclusus maturus  
vitalisq; habeatur, aut ab eo, qui Pater esse dicitur, gene-  
ratus esse censeatur; Juris Consultorū cō magis interest

A 2

scire,

scire, quò certius est, ab hac sola quæstione præjudiciale, jura partus vel propria vel transmissa, pro lis legitimæ vel illegitimæ dependere. Ni enim partus perfectus sit, homo non est, nec statu hominis gaudebit, necei cohærentia vel exercebit, vel in alios derivabit jura. Et utut perfectus, ni intra tempus post nuptias venerit legitimū, aut alienus erit, proinde illegitimus, aut præcocem conjugum prodet complexionem.

## §. II.

Ante septimum Mensēm à die conceptionis computando, non nisi abortum nasci, huncq; non nisi ex miraculo vivere posse tradiderunt Medici. *Vid. Zacc. quæst. Med. Leg. Tit. 2. q. 2. n. 10. 16.* Unde pro mortuo habent, qui vivere nequit. Septimo tamen mense natum ob autoritatē *Hippocratis* perfectum esse partum, *Paulus Gctus* docuit, hancque sententiam suo tempore acceptam fuisse dixit in l. 12. ff de Stat. Hom. Perfectum autem partū intelligent, qui organis ad vitam ducendam & ratiocinandū necessariis non destituitur; brevissimis, qui rationalis & ad tempus saltē vitalis est; licet sit ratione membrorū imperfectus, aut non integrū animal editum sit. Evidem perfectum est, quod omnibus suis partibus juxta l. 1. ff de O. J. constat, perfectioni tamē essentiālē partium integrantium defectus nil demit. Sed cum lex septimo mense natū dicit, non utique mensis completionem requirit, sed saltem initium, prouti hoc ipsum confirmat in leg. 3. §. 12. de suis & leg. hered. *ULPIANUS*, dicens: *De eo autem, qui centesimo octogesimo secundo natus est die, Hippocrates scripsit, justo tempore videri natum.* Medicorum autoritati recte hic innititur *Juris Consultus*, quia cuilibet artifici in sua arte fides est adhibenda; præcipue, cum

\*\*\* ( ) \*\*\*

cum tempora nascendi sint incertissima. Non moratur ratiocinia Pythagoræ, Censorini, Astrologorum, qui partim proportionibus numerorum Musicorum, partim septenario numero, partim regiminibus Planetarum partus formationem adscribunt; certè hæc ut obscura, vaga, inepta, negligimus.

### §. III.

Si septimestris partus bonis est, ut recusemus octimestrem, à minori ad majus ductū dissuadet argumentum. Invenio tamen stringens dubium. Octavo equidem mense natum plane non vivere posse ex eodē Hippocrate lib. de Carn. & de Sept. & oct. partu, ut & ex experientia Zaccbias Tit. II. Quest. Med. Leg. I. n. 50. deducit, imo & septimestrem utplurimum interire docet idem Hippocrates I. c. Quid est ergo, quod Hippocrates citetur? Certè aut falso allegatus videtur, aut si septimestrem partum vivere posse, utut ægre, dixit, eadem authoritate, qua septimestris partus vitalis esse judicatur, octimestris vitalis non judicabitur. Hinc & Lalamantius & Fortunatus à Zacchia citati utrumq; partum pro abortivo habent. Verum salva res esse videtur. Septimestrem partum utplurimū interire saltem Hippocrates dixit; vivere posse non negavit, sicut raro id contingat. Imo imperitiæ eos notavit in libro de Carn. in f. qui hoc negant, simul septimestrem partum pro ratione natum esse dixit Lib. de Nat. puer. Possibilis itaq; vitalitas, & in naturæ gremio radicata. Leges autem semper in æquiorem, mitiorē, humaniorem, quoties id evidens injuria non impedit, inclinant. Quod vero octimestre attinet, autoritatē Hippocratis reveremur quidē, sed, ob contrariā quam alii non minus celebres Medici in nos propagarunt

A 3

garunt experientiam, non credimus ea Hippocratem Medicinam invasisse Tyrannide, ut soli sibi fidem haberi prætenderit. Cui certè alia convincens accedit ratio, quod tempus procedens maturitatē augere debeat magis, quam diminuere. Quamvis autem tales partus imbecilles sint, vitamq; ut plurimum diu non trahant, ab imbecillitate tamen ad imperfectionem partus argumentari non licet. Non enim hic quæstio est de sanitate & vigore prolis, sed de vitalitate, i.e. an possibile sit, ut spiritum ducere possint, utrū sint debiles, morbosique. Octimestris itaque recipiendus, aut si non recipiatur & septimestris rejiciendus *Zacch. c. l.*  
*q. 4. n. 45.*

## §. IV.

Sed quid de *Cælonibus, Cæsaribus*, seu exsectis septimo mense judicandum? Eruntne & illi perfectis partibus annumerandi? Certe exsectus natus non est, nec impellente aut ita ordinante natura procedit; imo invitæ naturæ extorquetur. Hinc partus dici nequit. Falsum enim est, eam peperisse, cui mortuæ filius exsectus est *l. 182. §. 1. de V. S.* Ante naturæ terminum ergo venisse censembitur, adeoque perfectus partus nomen haud adipiscetur. Sed ex altera parte insurantem mihi audio *Ulpianum*, qui in *l. 12. ff. de lib. et posth. hered.* natum accipit, et si exsecto ventre editus sit conf. *l. 6. in f. pr. ff. de iuoff. Test. l. 141 ff. de V. S.* Nam & ea mulier, cum moreretur, creditur filium habere, que exciso utero edere posse. *d. l.*

## §. V.

Quò me vertam, ferè hæreo. Rem in hypothesi arbitrio Judicis committo; qui, vitalis an sit, apud Medicos explorabit. In Thesi autem septimestrè Cælonē perfectis par-

partibus statim annumerarem. Nam septimo *natum* mense, perfectum esse partum dicitur ob autoritatem Hippocratis, qui eo tempore à natura fœtum in orbem propelli posse autumavit. Ast si septimo exsecatur mense, naturali motu venire non voluisse, nec potuisse merito præsumetur. Itaque septimo mense natus in dubio habebitur pro perfecto; exsecutus eodem mense, in dubio pro imperfecto; nisi spiritum duxerit, hoc enim lex 12. ff. de lib. & posth. requirit. Idem & de partu, qui ante tempus hoc aut morbi aut affectus violentia præcipitatur, judicium ferre haud vereor.

### §. VI.

Septimestris ergo partus secundum ea quæ dixit, humano juris commercio fruetur. Baptizabitur ergo; ingenius nascetur, etiam si paulo ante partum i.e. ante centesimum octogesimum secundum diem mater manumissa sit; servus erit, si post eum demum mater manumitteretur arg. l. 3. §. 12. ff. de suis & leg. her. Succedit matri superstes, licet momento denatus, maternamq; hereditatem in patrem, *fratreisque* ordine transmittet: Rumper testamentum, etiam si non integrum animal editum sit, non obstante l. 3. C. de posth. hered. inst. querelam inoff. test. instituet, hancque ad hæredes transmittet, quæque sunt hujus generis alia faciet;

### §. VII.

Quid autem dicemus de secunda significazione partus septimestris, scilicet ante octavum mensem à die nuptiarum computatum venientis? Eritne legitimus? credeturne Maritus, qui antea cum Sponfa non concubuit, pater esse. Evidem si Maritus præmaturam cum Uxore sua *avvulsa* fatetur, partus non tantum sexto Mense, sed unico post nuptias celebratas momento superveniens, utpote legitimo?

timo in matrimonio natus, legitimus sine dubio erit; Neq; tantum legitimatus hic dici potest per subsequentes nuptias, cum hæ partū præcesserint. Conceptio quidē ipsa legitimatur per subsequens matrimoniu, proles tamē post hoc & in hoc legitima nascitur. Ast magna & ardua, honoremque utriusque Conjugis attinens controversia prodit tunc, cum partum septimœstrum Maritus negat ex se natum esse. Ante septimum à nuptiis mensem conceptum naturaliter partum perfetum ad lucem protrudi non posse Medicorum & præcipue Hippocratis communis est sententia. Si itaque ante hoc tempus advenit, aut Maritum aut parasitum nuptias prævenisse credendum est. Sexto mense tamen venientem legitimus esse, atque rumpere testamētum posse Carpzouium p. 3. *Conſ. 17. Def. 18. Brunnem. ad l. 3. C. de posib. hered. inſl. Bald. Conſil. 113. n. 5. &c* alios apud *Peregr. deſideic. art. 43. n. 29.* statuisse refert Cocejus in *Jure Controv. ad Lauterb. ad tit. de his qui sui vel alieni juri.* Ast cit. Brunneman plane l. c. contrarium habet. Quin & *Lex 12. de ſtatu hom. folium Septimum Menſem perfectio- ni & legitimati partus adſignat.* Hæc enim ita ratiocinatur: *quia autoritate Hippocratis Doctissimi Viri septimo mense perfectus partus nasci potest, idē credendum eſt, eum, qui ex iustis nuptiis septimo mense natus eſt, iustum filium eſſe.*

### §. VIII.

Verum & huic septimœstri partui controversiam status movent idem Doct. COCCEJUS in *Jure suo controv. l. c.* qui non putat talem partum, caufa non cognita, invito Marito obtrudi posse 1. *quia hoc mense partum perfectum nasci rareſtissime contingit;* itaq; id præsumendum eſſe, quod plerumq; non quod tam raro accedit 2. *quia præsumendum pro eo, quod naturale eſt,* & pro ordine, quem natura ſervare ſolet:

Partus

Partus autem septimo mense veniens sanus & firmus regulariter utero non protruditur: Siquidē experientia testatur , cum esse mollem & debilem , hinc fortissimam nasci præsumptionem , firmum , ac robustum septimestrem non in conjugio , sed ante conceptum esse. Hinc accuratè partū circumstantias esse considerandas ait, inspiciendam membrorum mollitiem aut firmitudinem , Medicosq; consulendos , lineamentorumque examinandam similitudinem. Unde 5. contra partum septimestr. in Facult Uiad. A. 1691. pronuntiatum esse in causa personæ illustris , in qua matresfamilias risisse perhibentur , cum audissent Advocatos defendere , partum sanum atque robustum septimo mense nasci posse , quod & 6 multo magis in successionibus principatuum considerandum esse putat , quo majus hic est præjudicium Mariti , liberorum , cognatorum. Deniq. 7. Aristonem allegat , qui septimo mense natum regno exclusit apud *Pausaniam l. 3.* *Herodot. l. 6. n. 156.* Gerhardumq; Holsatiæ Comitem , qui , ut legitur apud Zacciam ideo Conjugem repudiavit.

## §. X.

Verum cum causa partū favorabilis sit maximè , nec tam facile delictum præsumendum sit , cum insuper expressum textum , qui septimestrem partum legitimum pronunciat , habeamus ; exempla quoque prostent certissima partuum sanorum septimo mense editorum , *in dubio* , etiamsi partus sanus , firmus & robustus sit , contra patrem pro matris pudicitia pronunciarem , quamvis formido opositi hic non ccesset . Nam quia si pro Marito pronunciaretur , major injustitiae formido mentem incesseret , si castitatem & pudicitiam Uxoris infamaremus , filioque qui legiitimus esse posset , omnem successionem adime-

B

rem u

remus; quia alias melius est mille nocentes absolvere, quam unum innocentem condemnare, cautissimè procedendum est. Si enim semel aliquid factum est, semper id contingere poterit, proinde in rem tam periculosa magis benignitatis, quam severitatis indulgere debemus. Dixi in dubio: Nam si foemina, quæ septimo mense parit, stupri jam esset antea commissa aut alias dissolutam durante matrimonio transfigisset vitam, commerciique dishonesti atqueretur, in Coccejanam sententiā mihi transcendū fore fatuerer.

## §. IX,

Opus tamen est, ut etiam respondeamus speciosis, quæ reposuit, argumentis Coccejus. Esto partum hoc mense rareissimè nasci. Si tamen coniux sit, cui nulla potest opponi vitæ turpitudo, ob solam rariatem casū, possibiliter legitorum natalium negare debebimus? Tenediam certe securem Judici hoc in casu extorquet lex nostra 12. quæ expreßè septimo mense natum, justum esse filium credere jubet idē, i. e. ob hanc rationem, quia septimo mense perfectum partum nasci posse tradit Hippocrates. Hinc præsumptionis vis, quæ ex eo, quod ut plurimum fieri solet, aciem suam accipit, vi legis quidē obtunditur, quæ de casibus rarī disponit. Alias Lex ad ea, quæ frequenter, non aptatus quæ raro accidunt aut ex inopinato. Sed inter leges, quæ raro decidunt casus, Regulæ istæ generales silere debent. Premit quidem propius casus, quando septimestris partus firmus est & satus, cum regulariter partus hi molles sint & debiles. Et fateor hanc conjecturam in Jure non futuram esse de nihilo, si foemina dissimilata vitæ peperisset. Ast quia Hippocrates

Crates aliique Medici statuunt; septimo mense perfectum nasci posse; sub perfectis non tantum debiles sed & sanos firmosque sine dubio intellexerunt. Cui accedit, quod nec hoc decisum, an omnes septimo mense nati sint indistincte imbecilles? Periculum partus furtivi & suppositi quidē timere triste est; Sed Lex, quae septimo mente natum post nuptias justum esse jubet, præsumtio honestatis & probitatis, periculum injuriæ grandis in proprio sanguine commitendæ & exemplatum partum, maritum solari debent. Certè, si repudiaret, suo honori parum velificaretur, & tamen semper cum formidine oppositi id faceret; si agnoscere t, prope certus esset, quod non magnam facturus sit injuriā. Nam aut partus proprius, aut alienus est; si est proprius, justitiam facit; si est alienus, cùm adopiat, & sic tantum juri proprio, non tertio præjudicat, utpote si quod adest, querendum ut plurimum est, non quæsitum. Præjudicia denique legem non faciunt; & casus, qui inter Principes accidere possunt, tanquam juris publici, nostros hic non facimus.

### §. X.

Quis autem probabit in casu sextimestris partus<sup>?</sup> pro quoniam erit præsumtio? an pro accusante, an pro accusata? si ic. ante sepm̄ mensē veniat proles. Maritus non vult agnoscere partum; Negat se ejus autrem esse, simul inculsat adulterii Uxorem. Uxor se fundat in præsumtione generali honestatis; Denique negat se alium in communionē thori admisisse. Quid si Maritus pertaxsus jam forsan conjugii, proprium præcōcis concubitus delictum sub alieno scelere in fraudem uxoris tegere vellet? Ast adest indicium grande contra Uxorem militans, quod est præcōcitas partus. Delictum ejus certum est, sive cum Marito, sive cum peregrino anticipaverit coitum. Marito

riti autem delictum incertum adhuc est. Itaque vi-  
dendum, an antea familiariter, in domo vel extra  
domum cum sponsa vixerit nec ne? Si illud, Uxor's  
assertio; si hoc, Mariti negationi juratæ standum  
erit. Si tamen aliunde certum est, Maritum ante  
nuptias cum Uxore non potuisse misceri, contra Uxo-  
rem sine dubio evidens ruptæ fidei conjugalis argu-  
mentum erit, si sc. sextimestris partus, perfectus,  
robustus, vitalisque esset. Secus si abortivus, aut  
imbecillis, aut vi morbi, affectusq[ue] intempe-  
rantia extrusus, aut in tali statu utero ante septimum  
mensem excisus fuisset.

T A N T U M.



**ULB Halle**  
004 592 964

3



Mär 1 + 12





B. C. D. 12

DISSERTATIO JURIDICA  
DE  
**PARTU  
SEPTIMESTRI**  
QUAM  
PRAESIDE  
**DN. JEREMIA EBERHARDO  
LINCKIO,**  
Jur. Publ. & Pand. P. P. O. & Cap.  
Thomani Canonico,  
*SOLENNI Censuræ subjiciet*  
Ad diem 10. Februar. M DCC XXXIV.

**JOH. BAPTISTA LE GOULLON DE COIN**  
METENSIS.

*ARGENTORATI,*  
Literis GEORG. ADAMI PIESCKERI, Univ. Typogr.